ceremoniis, & solennitatibus, quibus antea, Gochiam reducitur. Comitabatur magno furore percitus, & rabie spumans major Castri Gochensis cum quibusdam militibus, & longo firmate per forum in ludibrium Catholicorum captivos ad priores carceres reducit, & Gubernatori in Castello sistit. Hic Dominus Cornelius turri includitur usque post meridiem, quando evocatus in præsentiâ Gubernatoris à Ceporino interrogatur, ubinam essent chartæ pastoratum concernentes, & pluribus additis tandem abeunt relinquentes Dominum Cornelium solum usque ad sequentem diem horâ decimâ, quando Ceporinus denuo Gubernatorem invisit, & Dominus Cornelius rursum ad turrim rapitur, in quâ permansit usque ad sequentem Dominicam non obstante, quòd captivi Clivenses ineffabili Dei misericordiâ jam Sabbato relaxati fuerant.

CAPUT XXXIV.

Revocatio Textoris, quâ captivos innoxios, Proditores verò reos declarat, ulterius describitur.

HÆc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in eâ. Hæc est dies, in quâ divina misericordia de humanâ pravitate, veritas de mendacio, Justitia de perjurio, Innocentia de invidiâ, amor de odio triumpharunt. Hæc est dies, in quâ honestis illis captivis, eorúmque familiis plus gloriæ ex liberatione, quàm dedecoris ex captivitate accrevit. Hæc est dies, in qua velut oriente sereno solis radio ululæ

noctuæ,

noctuæ, & viperæ latebras suas quærunt, & lucem fugiunt; sic & proditores isti oriente sole justitiæ honesta hominum consortia declinârunt, & vix frontem bono viro præsentare ausi sunt. Nunc ergo ad ipsam revocationem ex fundamento procedamus. Omnes jam tum rigorosum satis examen sustinuerant, quando & ad Textorem pervenitur. Hic à Capitaneo Majore Dyck rursus ad carcerem deducitur, ubi nec Ceporinus, nec consortes eidem ampliùs consiliis & machinationibus suis assistere poterant. Carceri ergo appropinquantibus Textor magno gemitu, & clamore Majorem amplectitur, & bracchiis collum stringit, suspiriosè dicens: *Ick wou dat ick by den Printz was.* Interrogat Major: *Wat wouwt ghy by den Printz doen.* Dicit Textor: *Sullen de Borgers wel sterven?* respondet Major: *Jae, soo dat waer is, dat ghy seght.* Hâc sententiâ auditâ rursum Textor sermonem orditur sequentem: *och ick vvou, dat ick by den Printz vvaer, ick vvou hem om Genaed bidden, vvant vvat ick van de Borgers geseyt hebbe, dat is erdacht, en gelogen. Ick vveet van de Borgers niet te seggen, als Eer, en Deught, vvat ick geseyt heb, daer bin ick toe gekocht, en gebrocht.* Hæc audiens Capitaneus Major Textorem recludit, & citato pede regreditur, tribunâlque adhuc aulicum congregatum invenit, cui omnia, quæ ex ore Textoris, ejúsque confessione intellexerat, aperit. Hi Consiliarii de facto erant occupati deliberando, an non expediret, ut cives torquerentur non obstantibus tamen vehementibus rationibus, & remonstrationibus, quas jam à captivis audierant, sicut & Apologiam Petri Exken ad manus habebant, in quâ omnia men-

dacia confícta, & per inhumana tormenta expreſſa ad unguem revocat. verùm Proditores iſti, qui igni huic tam diu fomitem ſubminiſtrârant, nunc cuti ſuæ timere incipiebant. Conſiliarii ergo dant Gubernatori, ſive Majori in mandatis, ut Textorem in eorum præſentiam adducat. Tres ex Conſilio particulare cubile intrant, Textoris confeſſionem excepturi. Intrans Textor mox in genua provolvitur, & poſt exoratam corporis ſalutem, & integritatem eadem, quæ Majori dixerat, liberè, ſed lamentabiliter enarrat. Hic de ulteriori in tam iniquâ causâ progreſſu penitus conclamatum erat. Sed hic contigit, ut habet adagium: Dominus Deus quandóque permittit terribilem maris ſævitiem, ſed non ut tranſeat fines ſuos. Permiſit quoque hanc tribulationem, ut ex ea ſibi lucrum animarum acquireret: nam vera fides, & charitas inter Catholicos refriguerat; imò inter captivos tres aderant, qui totâ vitâ venerabile Euchariſtiæ Sacramentum nondum perceperant. Igitur ſicut & aurum in fornace probatum purius extrahitur, ſic & captivi in tribulatione tentati, in tentatione probati inprobatione denno purificati juſtiores è carcere evaſerunt, quàm ſine ullo impedimento veterem ſuam vitam tumulo intuliſſent.

Dum ergo Textor ſubſtantiam, & medullam totius tragœdiæ liberè tam Tribunali, quàm Majori confitetur, loco Conſiliarii Domini Voeſt includitur, nec amplius in bonitate, ſed cum rigore procedunt, quamvis Textor utpote de commiſſis peccatis ſummè dolens ſe offerret ad omnia libenti animo dicenda. Verùm: ô Judicia Dei! dum mendacia & nugas vendit, optimè habetur, & tractatur, veritatem dicens

contra

contra factas etiam promissiones torquetur. Sed quamvis jam tortus tamen verbis suis stetit. Interrogant ulteriùs de literis, quas Textor dixerat Xantis scripsisse Presbyterum Gerhardum, & quas ad manus Consulis Exken constituere in mandatis habuerat. Hîc respondens Textor, omnes circumstantias dolenter aperit. Dicit ergo: loco Presbyteri Gerhardi Textor quidam Gochiæ hanc Epistolam scripsit, & florenum pro salario percepit (vile certè sanguinis pretium) & loco quòd eandem deferre debuerat Consuli Exken, tradiderat Ceporino, qui mox ejusdem copiam descripsit, & originale restituit, ut idipsum Consuli traderet, quod tamen non fecerat, sed domum rediens laceratâ Epistolâ fragmenta sub stramine lecti occultârat; quod Dominus Deus ita constituit, ut reliquiæ postmodum compactæ veritatem manifestarent. Mittuntur desuper quidam Gochiam, qui excusso lecti stramine, & aliis circumstantiis observatis taliter invenerunt sicut Textor dixerat, qui & revertentes Textorem Epistolæ scribam secum trahunt, & carceri includunt. Omnia ergo quæcunq; Textor modò affirmat, factâ inquisitione vera inveniuntur; sed de antehac dictis ne vel syllaba verificari potest. Dum interea Textorem quamvis omnia satis sponte fatentem per quinque dies in torturâ exercent, nunc hæc, nunc illa interrogantes, è quibus adhuc aliquid rebus suis profuturum eruere conabantur, boni isti captivi compedibus ferreis onerati, in carceribus adhuc detinentur, & Clivenses quidem à die Lunæ 30. Martii usque ad Sabbathum post meridiem, Gochenses verò usque ad Dominicam circa horam decimam, quando omnes relaxati fuerunt; ita ut

adhuc per sex dies post veram Textoris confessionem captivi sedere coacti fuerint. Tantæ molis & difficultatis erat conceptum semel virus evomere.

CAPUT XXXV.

Quâ ratione Accusatores & Proditores isti citentur, & quâ viâ se purgare conentur.

EX mandato igitur Fiscalis accusatores isti citantur. Qui primò interrogat de literis, quas Textor iisdem attulerat, & quarum Ceporinus copiam descripserat, addens: Hanc Epistolam tam absurdam esse. Respondet Ceporinus: quisdam ex Assecliis meis taliter festinavit, ut literæ Consuli Exken traderentur, ut tantummodo memoriter in chartam conjecerim. Hic replicat Fiscalis: *Dat laet sich soo niet verantwoorden*; verùm omnem excusationem quam obmovebant non poterant qualificare, nisi dicendo se à Textore deceptos fuisse, & quia crimen læsæ Majestatis erat, idipsum celare ausi non fuerant. Verùm hæc effugia, & nugas discutiamus parumper: posito quòd conspiratio actualiter concluſa fuerit; quid tunc Ceporino faciendum fuisset? debuisset Textorem Judici loci sistere, & dicere, ut monstraret infallibilia signa, & documenta, cæteroquin tu talis vir haberis, qui audes Concives, consanguineos, & amicos meos in talem ruinam dictis tuis præcipitare, de quâ honor, vita, & fortunæ dependent. Si hæc considerasset, opus boni Christiani implêsset. Verùm